

## No. 20. 1265. 22. Sept.

*Pabst Clemens IV. beauftragt den Abt von Goseck, dem Thomaskloster wider Räuber und Befehder wirksame Hülfe zu leisten und kirchliche Strafmittel gegen dieselben anzuwenden, im Uebrigen aber weder gerichtlich zu verfahren noch Personen und Sachen nicht betreffende Punkte zu erörtern.*

Clemens episcopus servus servorum dei dilecto filio .. abbati monasterii de Gozzich Halberstadensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Pium esse dinoscitur, ut gloriantibus in malitia per nos taliter obsistatur, quod repressis eorum insultibus vacantes divino cultui liberius possint in observantia mandatorum domini delectari. Cum itaque dilecti filii .. praepositus et conventus monasterii sancti Thomae in Lipz ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis diversis prout accepimus affligantur molestiis et pressuris, nos eorum providere quieti et malignorum malitiis obviare volentes discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus praefatis praeposito et conventui adversus raptorum praedonum et invasorum audaciam efficaci praesidio defensionis assistens non permittas, eos in personis et bonis suis a talibus molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, attentius provisurus ne de his, quae causae cognitionem exigunt vel quae personas et bona non contingunt ipsorum, te aliquatenus intromittas. Nos enim si secus praesumpseris tam praesentes litteras quam etiam processum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Huiusmodi ergo mandatum nostrum sic sapienter et fideliter exequaris, quod eius fines quomodolibet non excedas, praesentibus post triennium minime valituris. Datum Perusii X Kal. Octobris pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das an Fäden befestigt gewesene Bleisiegel ist abhanden gekommen.

## No. 21. 1271. 5. Febr.

*B. Friedrich von Mersburg gestattet mit Genehmigung seines Capitels dem jezeitigen Probst des Klosters die Besetzung der Pfarrämter zu Gautzsch und Grosszschocher.*

Fridericus dei gratia Mersburgensis episcopus dilecto sibi in Christo Theoderico praeposito sancti Thomae in Lipzk salutem et sinceram in domino caritatem. Devotionis vestrae precibus inclinati tenore praesentium de totius capituli nostri consensu liberaliter indulgemus, quatenus vobis et cuilibet vestro legitimo successori licitum sit in ecclesiis in Kuzaz videlicet et in Schochere cum eas vacare contigerit personas idoneas de gremio vestri collegii aut capellanos saeculares vestro nomine collocare, salvo tamen iure episcopi ac archidiaconi qui pro tempore fuerint in eisdem. In cuius rei testimonium praesentem paginam tam nostro quam praefati capituli nostri sigillis fecimus communiri. Datum Mersburg anno domini M°.CC°.LXXI°. Nonas Februarii pontificatus nostri anno sexto.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den beschädigten Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.